



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 21. Libellus Henrici VIII. Angliæ Regis adversus Lutherum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI.
A.C. 1521.

§. XXI.

*Libellus Henrici VIII. Angliæ Regis
adversus Lutherum.*

Sub idem tempus Henricus VIII. Angliæ Rex non modo plura, eaque severissima promulgavit edicta, quibus Regnum suum a Lutheri hæresibus præmunire curabat, sed etiam ipse adversus ejus doctrinam calamum stringere voluit; cum enim in lectione operum S. Thomæ Aquinatis assiduus esset, & Lutherus in pluribus suis libris contra sanctum Doctorem indigno prorsus modo tumultuaretur, licet id omne, quod in Theologicis disciplinis sciebat, ex illius doctrina hausisset, ideo Henricus Scriptorem adeo venerandum, tamque eximia eruditione clarum, cui Monachus ille maximam suæ scientiæ partem debebat, tam nequiter vilipendi ægerrime ferebat, seque viribus haud imparem esse arbitrabatur, ut Lutheri libros confutare, ac lucubratione solida hujus hæretici arrogantiam reprimere posset; cum vero Leo Papa edita hanc in rem Constitutione Lutheri libros perlegi diserte prohibuisset, nec absque eorum lectione hujus hæretici errores refelli possent, hinc Volseus Cardinalis summum Pontificem suppliciter adiit, ut Lutheri libros
cunctis,

cunctis, [qui eos confutare vellent, le- Sæcul. XVI.
gendi facultatem concederet. Lubens A C. 1521.
annuit Pontifex, ignarus quidem, quod
Rex Henricus adversus hunc hæresiar-
cham ipse in literariam arenam descen-
surus esset. Dabat Leo X. hac super re
litteras Apostolicas die decima quinta A-
prilis Anno Salutis millesimo quingen-
tesimo vigesimo primo.

§. XXII.

*Henrici Regis liber pro asserendis se-
ptem Sacramentis.*

Scriptit itaque Henricus polemicum *Cochl. ann.*
tractatum de septem Sacramentis ab *1522. p. 43.*
Ecclesia Catholica propositis, doctum-
que volumen suum summo Pontifici nun-
cupavit, ac Mense Octobri Anno Domi-
ni millesimo quingentesimo vigesimo pri-
mo offerri voluit. Nonnullorum opinio
fuit, hunc librum nonnisi sub nomine
Henrici VIII. fuisse editum, re tamen
ipsa ab Eduardo Lee elaboratum. *Ve- Sleid. in com.*
rum id prorsus incertum est; Henricus *l. 3 p. 78.*
enim adhuc junior Philosophicis, ac *Pallav. hist.*
Theologicis disciplinis, eo quod ab Hen- *Conc. Trid.*
rico VII. ad sacram militiam destinatus *l. 2. c. 1.*
esset, egregiam navavit operam, ut ideo
haud dubitandum sit, Regem hujus lu-
cubrationis auctorem fuisse, licet forte
cujusdam præclari Theologi auxilio ute-
Hist. Eccles. Tom. XXXIV. E. retur.